

The Electronic Manipulus florum
www.manipulusflorum.com

Sapientia uel scientia ai
cum fonte primo

Nichil sapientia
ardentius diligitur, nichil dulcius
possidetur. Hinc est quod
sapientes homines esse uolunt, pauci
tamen sapientes esse possunt.

Iusti autem omnes esse potuissent, si
esse iusti perfecte uoluissent.

Sapientiam et multum diligere potes et
ipsa carere potes;
sed
quanto amplius iusticiam
dilexeris, tanto iustior eris.

Ricardus libro de contemplacione
capitulo I.

Nihil enim hac, ut diximus, sapientia,
ardentius diligitur, nil dulcius
possidetur. Hinc est enim quod
sapientes omnes esse uolunt, pauci
tamen admodum sapientes esse possunt.
Nunquid de iustitia similiter dicimus.
Nunquid aequae iusti omnes esse
uolumus, sed iusti forte esse non
possumus. Imo
omnes utique iusti esse potuissent, si
esse iusti perfecte uoluissent.
Iustitiam enim perfecte diligere, est iam
iustum esse.
Sapientiam et multum amare potes, et
ipsa carere potes.
Omnino, et absque dubio,
quanto amplius iustitiam dilexeris, tanto
iustior eris.

Ricardus de sancto Victore, *De
praeparatione animi ad
contemplationem liber dictus Benjamin
minor*, 1-2 (PL 196, col.2A-B).